



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pepagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

xlix. Ad interiora rupta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

dabis. Si recuset lacertas virides viuas, in sole ipsas arefacito, leuigato, eorumque puluere eonspersas suillas carnes dato accipitri comedendas. Si accipiter mutauerit, aquam marinam calfacito, eaque pinnas eius foueto per triduum, vel cum aceto acerrimo calfacito.

*Si vulneratus sit à grue.*

**S**i accipiter à grue, aut ab alia aue vulneratus sit, ita ipsum curabis. Ossium palmæ quinque vncias, ramenti ferri excidentis ex incude vncias treis, in unum misceto, in puluerem redigo, consuito locum vulneratum, & ex illorum puluere inspergito: sed prius locum vino calido eluito, & eius cibatui obijcito. Alij axunquam suillam, & stacten farmentorum miscent, hisque perungunt plagam acicula consutam. Verum attende, ne acicula interiorem carnem perstringas.

*Ad interiora rupta.*

**S**i interiora discussa habet, ita medebere. Stacten ex palmitibus vitis dabis ei bibendam, & sanum facies: & carnem feruefactam, & mel cum butyro commixtum

præbebis edendum ex carnibus: vel sandracam ex carne dabis, & sanitatem recipiet.

*Ad dolores lumborum.*

CVM videbis accipitrem, vel manu gestatum, vel ad prædam emissum, capite aggrauato & dormitante deferri, & caudam frequenter flectentem, scito ipsum lumbagine & torminibus laborare. hoc medicamento sanabis. In aquam coniicito radicum asparagi vnciam, poci infra terram generati sextantem, herbæ vesicariæ quadrantem; in cucuma testacea decoquito ad tertias, decocto eius lumbos foueto per septem dies. aduersus tormina hoc remedium adhibebis. Lumbricos terrenos coques, eorum sumes siliquam, laseris siliquam alteram, album liquorem oui, in unum miscebis, eaque ex carne dabis accipitri per ipsos dies, cum ipsum superiori decoctione fouebis.

*Aliud remedium.*

Tiliam, alimi semen, oleum laurinum & lentiscinum ex aqua coques, hisque accipitrem fouebis; olea quidem separatim coques, & deinde miscebis. Vino calefacto & per spongiam expresso accipitrem fo-